

5. Quartò quæro, si uxor contrahat cum alio in præsentia mariti, an sufficiat ejus taciturnitas? Et videtur quòd non, sed requiritur consensus expressus; & ita tenent Bald. Angel. Imol. & communiter DD. in leg. 2. §. Voluntatem. ff. Solut. matriman. Paul. de Castr. in leg. Si quis mihi bona. §. Jussum in fin. ff. Acquirend. hæred. Alexand. in Addit. ad Bart. in leg. Apud Julianum. §. fin. ff. quib. ex causis in poss. eat. quia verba statuti debent intelligi propriè, & idèd non sufficit sola præsentia mariti cum taciturnitate, quia est fictus & improprius consensus. Sed certè ego tenerem contrarium; (h) quia prædictæ leges regni non requirunt consensum mariti pro forma & solemnitate actus, se pro evitando damno & præjudicio ejus.

6. Quintò quæro, si uxor contraxit cum aliquo sine licentia mariti, an sufficiat, quòd postea habeat ratum? Et videtur requiri quòd præcedat & interueniat tempore actus vel contractus; quia quando licentia, consensus, vel auctoritas alicujus requiritur in aliquo actu, semper debet præcedere & non subsequi, argumento text. in leg. Etiam. ff. de Autor. tutor. text. in §. Tutor. Institut. eodem tit. Sed contrarium est tenendum, imò sufficit, quòd subsequatur & ratum habeat maritus, per doctrinam & regulam generalem, quam probat text. in leg. Si quis mihi bona. §. Jussum. ff. de Acquirend. hæred. per quem tenent ibi Paul. de Castr. & communiter Moderni. Quòd si licentia, consensus, vel auctoritas alicujus requiritur pro forma & solemnitate actus, requiritur quòd procedat & non subsequatur; quia requiritur ad legitimandam & autorizandam personam: si verò requiritur pro evitando præjudicio alicujus tertii, cujus licentia, consensus, vel auctoritas requiritur, tunc sufficit, quòd subsequatur, & postea ratum habeat: idem etiam tenet Paul. in leg. Si cum dote. §. Ea autem tempore. ff. Solut. matriman. 2. column. num. 5. & ibi Moderni. Idem Paul. in leg. Licet. ff. de Judic. facit etiam doctrina Bald. &

(h) Prout tenet Cifuent. in leg. 55. Taur. quæst. 14. dum tamen maritus intelligat quod agat: ut tenet Menchac. Controversiarum usufrequentium, cap. 11. num. 6. Matienz. in leg. 3. tit. 3. lib. 5. Recopil. gloss. 1. num. 7. & seqq. Gomez Arias hic, num. 21. & sequent. Aceved. in leg. 3. tit. 3. lib. 5. Recopil. num. 1.

(i) Et ita teneo 2. tom. Variar. cap. 6. num. 2. limitat. 9. tenet Bald. in leg. Si uxorem, Codic. de Condit. insert. Palac. Rub. in Repet. rub. §. 68. in princip. fol. 65. Segur. in leg. Si vir uxori, numer. 124. de Acquirend. possess. usque ad illam quantitatem mulierem teneri affirmans, ad quam usque solvendo merces illa sufficiat; ad id tamen quod deest non teneri: idemque de mulieribus pueros nutrire solitis sine viri licentia, marito vidente & tacente, dicendum esse asserit Aceved. in dict. leg. 3. tit. 3. lib. 5. Recopil. numer. 12. & vide Matienz. in leg. 3. tit. 3. lib. 5. Recopil. gloss. 4. num. 9.

communis in leg. 1. Cod. Qui admitti ad bonorum possess. & idem disponit lex 59. infra eod. quæ certè est declaratoria & confirmatoria juris communis.

7. Sextò quæro: Si uxor sit præposita alicui officio vel negotiationi, sciente & patiente marito; ut quia sit posita mercantiz vel officio obstetricis, vel chirurgicæ, vel simili officio; an requiratur licentia mariti in contractibus ejus? Et breviter & resolutivè dico & teneo quòd non; quia eo ipso quòd de voluntate mariti est posita in illo officio, visus est licentiam & consensum sibi præstare: ita probat text. notabilis in leg. 1. §. Magistrum, el. 2. versic. Ceterum. ff. de Exercitoria, cujus verba sunt: Ceterum si scit & passus est eum in navi magisterio fungi, ipse enim imposuisse videtur, text. in leg. Quicumque, versicul. Idem Labeo ait. ff. de Institoria, aft. text. in leg. 1. ff. de Tributaria, text. in leg. Quam Tuberonis, versicul. Sunt quidem. ff. de Peculio, & ibi Bart. Alberic. Bald. Paul. & communiter DD. & in propriis terminis tenet Faber. in §. 1. Institut. quod cum eo, final. column. ubi dicit, quòd si maritus permittit uxorem suam mercari, videtur ei mandare & consentire, & tenetur de contractibus ejus; ita disponit expressè lex 13. tit. 20. lib. 3. For. II. & tenet ibi Roder. Suar. in lect. illius legis. (i)

Septimò quæro, an uxor possit contrahere sine licentia mariti ad pias causas? De qua quæstione vide latissimè per Roderic. Suar. in dict. leg. 13. tit. 20. lib. 3. For. II. 1. quæst. ad quem te remito.

8. Octavò quæro, utrum contractus factus ab uxore sine licentia mariti firmetur juramento? Et videtur quod sic; argumento text. in Authic. Sacramenta puerum, Cod. Si adver. vend. ubi habetur, quòd contractus minoris, qui non valet sine tutore vel curatore, vel saltem venit rescindendus, firmatur juramento: & in expressò ita tenet Palac. Rub. in sua Repet. capit. Per vestras, fol. 50. column. 2. Sed teneo contrarium; quia jura communiter loquuntur & procedunt quan-

## COMMENTARIUM

## In Legem LX.

## SUMMARIUM.

1. An possit uxor renuntiare lucris quæsitis constante matrimonio?

Nota ex ista lege, quòd lucra acquisita durante matrimonio dividuntur & communicantur inter maritum & uxorem: De quo dixi latè & magistraliter in legibus suprâ proximis. (l)

Item principaliter nota, quòd uxor potest renuntiare prædictis lucris quæsitis constante matrimonio: & ista est sola & principalis decisio hujus legis. Contra quam, imò quòd talis renuntiatio non valeat, fundamentaliter facit; quia donatio inter maritum & uxorem est nulla & prohibita, adèd quòd nulla oritur actio nec obligatio; ut in leg. 1. & per totum. Codic. de Donat. inter virum, & uxorem. & in cap. fin. extrâ, eodem tit. Item etiam, quia militat ratio prohibitiva ejus; ne mutuo amore se spolient. Rursus confirmatur, quia in uxorem transit ipso jure dominium & possessio pro sua parte lucrorum acquiritorum, constante matrimonio, ut suprâ dictum est: ergo non potest favore mariti renuntiare; quia est vera & propria donatio.

quando contractus tendit in favorem vel damnum contrahentis; (k) secus tamen est, quando tendit in præjudicium tertii, & requiritur ejus consensus; quia tunc nulla ratio patitur, quòd firmetur juramento contrahentis in damnum & præjudicium tertii: & ita videtur tenere Faber. in §. 1. Institut. quib. alienare licet, vel non, & tenet Cifuent. in leg. sequent. 1. quæst.

9. Nonò quæro, an uxor possit constituere procuratorem sine licentia mariti ad contrahendum cum aliquo? De quo vide Roderic. Suar. in dict. leg. Fori, ad quem te remitto.

Decimò quæro, an uxor possit ex delicto se obligare & teneri saltem civiliter? De quo etiam vide Roderic. Suar. in dicta leg. Fori, ad quem te remitto.

## TEXT. LX.

Quando la muger renunciare las ganancias, no sea obligada à pagar parte alguna de las deudas que el marido hobiere hecho durante el matrimonio.

Id est: Quando mulier renunciaverit, non teneatur ad ullam debitorum partem, quæ maritus durante matrimonio fecerit.

(k) Et ita tenet Palac. Rub. sibi contrarius in leg. 55. Taur. numer. 18. Castell. in ead. leg. glossa ultim. Gomez Arias, num. 84. Menchac de Success. creat. §. 30. num. 56. versic. Postramo, & versic. Unde etiam. Covarrub. de Sponsalib. 2. part. cap. 7. §. 1. num. 3. Avendañ. in Dictionario suo, verb. Otorgamiento, circa fin. Matienz. in leg. 2. tit. 3. lib. 5. glossa 1. num. fin. Tiracquel. de Leg. conub. glossa 4. num. 26. usque ad fin. Covarrub. in cap. Quamvis pactum. 2. part. numer. 14. in med. §. 2. & in 4. cap. 7. §. 1. numer. 3. fol. 90. Gutierr. de Jurament. confirmatorio. 2. part. cap. 1. num. 34. & in Authent. Sacramenta puerum, num. 39. Aceved. in leg. 2. tit. 3. lib. 5. num. 87.

(l) Sed quid si maritus, antequam matrimonium contraheret, debebat censum aliquem super certis ejus bonis constitutum, ipsiusque census redditus constante matrimonio solvit, an possit uxor, matrimonio soluto, dimidiam horum reddituum partem, qui constante matrimonio fuerunt soluti, exigere; quasi ea dimidia pars ad eam pertineat, ut lucrum quæsitum matrimonio constante? Et sanè videtur posse; cum hujusmodi redditus quasi fructus videantur dividendi inter maritum & uxorem. Sed contrarium verius est: quia hic census super bonis mariti constitutus est sicut onus reale & tributum quoddam; unde maritus bona tanto minora videtur ad matrimonium adduxisse, quanti erat ille census & ejus redditus: & facit; quia census veluti species quædam venditionis est: unde, bona super quibus constituitur, quodammodo alienata & patrimonio abesse videtur. Quòd si maritus, matrimonio constante, censum illum redimeret; tunc dimidia pars pecuniæ qua redemptus est census, applicaretur uxori: sicut si maritus debitum à se ante matrimonium contractum constante matrimonio solveret; nam dimidia debiti pars ad uxorem pertinet, tanquam lucrum constante matrimonio quæsitum.

tio, & per eam diminuitur patrimonium ejus, & fit pauperior. Sed his non obstantibus, contrarium est tenendum; (m) imò quòd valeat & teneat renuntiatio, modò fiat ante matrimonium contractum, modò constante matrimonio, modò eo soluto: Et istam sententiam & conclusionem clarè & apertè probat nostra *lex 60. Taur.* quæ simpliciter & generaliter dicit, quòd si uxor renuntiet lucris quæsitis constante matrimonio, non teneatur ad debita: (n) & fundatur & probatur expressè de jure communi: quia licèt donatio inter maritum & uxorem non valeat; tamen, quando quis eorum ex donatione non fit pauperior, nec diminuit patrimonium suum proprium, benè valet & tenet donatio, licèt alter efficiatur ditior; ut si quis renuntiet hæreditatem, legatum, vel fideicommissum, ut perveniat ad alterum, quia est sibi substitutus, vel ab intestato successurus: quia tunc cessat ratio fundamentalis prohibitiva: text. est formalis & expressus in *leg. Si sponsus. §. Si maritus. el 2. ff. de Donat. inter virum, & uxorem*, cujus verba sunt: *Si maritus hæres institutus repudiet hæreditatem donationis causa, Julianus scribit donationem valere, nec pauperior fit, qui non acquirit, sed qui de suo patrimonio deposuit: repudiatio autem mulieri prodest, si vel substituta mulier, vel ei ab intestato successura: simili modo, & si legatum repudiet, placet nobis valere donationem: & ibi notant & commendant Odofr. Bartol. & communiter DD. text. in *leg. Profectitia. §. Si pater. ff. de Jure dotium: text. in *leg. Qui autem. ff. de His que in fraud. credit. ubi disponitur, quòd licèt potest debitor repudiare hæreditatem vel legatum in fraudem creditorum, nec fit revocatio per edictum illius tituli; quia licèt non acquirat de novo, tamen non diminuit patrimonium: textus in *leg. Cum oportet.****

(m) Prout tenet Bernard. in *cap. 7. de Donat. inter virum*, in verb. *Si non est aliud*, Faber. *Rubric. Instit. de Nuptiis. Suar. in leg. 1. tit. 3. de las Ganancias, lib. 3. Fori limitatione 1. verb. Queritur. Palac. Rub. in Rubr. §. 63. num. 1. Cassan. in Consuetud. Burgundie, rubr. 4. §. 2. verb. Aquesta, versic. limit. 4. num. 15. Matienz. in leg. 9. tit. 9. lib. 5. glossa 1. num. 1. & ibi sup. 2.*

(n) Vide Covarrub. *de Sponsal. 2. part. cap. 7. §. 1. num. 11. Matienz. in leg. 9. tit. 5. Rocopilat. per totum.*

(o) Nec etiam obstat textus bene notandus, juncta Glossa ordinaria bellissimè, in *l. 1. §. Quæ oneranda. ff. Quarum rerum actio non detur*, ubi probatur, quòd metus reverentialis, quem habet uxor respectu mariti, vel filius respectu patris, vel libertus respectu patroni est sufficiens ad rescissionem actus vel contractus qui inter eos geritur vel celebratur: & ibi notant & commendant Barrol. Alberic. & communiter DD. antiqui: & illam Glossam reputat singularem & unicam Rayner. in *leg. penult. ff. de Furtis*, notat etiam & commendat Bald. in *leg. Pactum. Cod. de Collat. column. 1. idem Bald. in leg. 1. Cod. de Bonis matern. 3. column.* Quia respondeo, quòd solus metus reverentialis non sufficit, si non interveniant minæ, vel verbera, licèt non ita severiter illata sicut ab extraneo: ita tenent & declarant Bartol. Angel. & communiter DD. in *dist. l. 1. §. Quæ oneranda*, idem Bartol. in *leg. Interpositas. Cod. de Transactionibus*, & ibi Bald. & alii DD. idem

*§. Sin autem. Cod. de Bonis que liber.* ubi habetur, quòd licèt donatio inter patrem & filium non valeat, tamen benè potest pater renuntiare usumfructum quem habet à lege in bonis filii: & ibi notant & commendant Bald. Salyc. Paul. & communiter DD. text. in *leg. penult. ff. de Collat. bon.* ubi, si pater illud quòd post mortem tenebatur solvere filio, dedit vel solvit in vita, valet & tenet solutio, & non tenetur filius aliis fratribus conferre. Nec his obstat ratio mea superior; quòd dominium & possessio transit ipso jure in uxorem pro sua parte, & renuntiando dicitur perdere & diminuere patrimonium suum: Quia respondeo, quòd non est vera & propria acquisitio domini, & realis incorporatio in patrimonium ejus per actum verum & naturalem, sed fictè & revocabiliter per legem; idèd potest renuntiare & non acquirere, sicut quando hæreditas & legatum ipso jure alicui quæritur sine additione, vel immistione, & tamen potest repudiare vel se abstinere. Nec etiam obstat text. notabilis & subtilis, in *leg. Magis puto. §. Si fundum. ff. de Rebus eorum*, ubi habetur, quòd minor etiam cum auctoritate tutoris vel curatoris non potest repudiare legatum rei immobilis sibi relictum sine decreto Judicis; Quia illud est verum & procedit in minore, qui non solum prohibetur alienare & perdere, sed etiam desinere acquirere: Sed nostra quæstio & jura prædicta loquuntur & procedunt, quando quis solum prohibetur perdere & diminuere patrimonium: & in expressò, licèt non ita benè fundent, ita tenent Joan. Faber. in *Rubr. Insti. de nupt. in fin. Palac. Rub. in dist. repet. cap. Per vestras, fol. 26. column. 3. & fol. 27. column. 3. Roderic. Suar. in dist. leg. 1. tit. 3. lib. 3. For. ll. 2. quæst. (o)*

TEX-

## LEX LXI.

## COMMENTARIUM

## In Legem LXI.

## SUMMARIUM.

**D**E aqui adelante la muger no se pueda obligar por fiadora de su marido, aunque se diga y alegue que se conviertió la tal deuda en provecho de la muger. Y asimismo mandamos, que quando se obligaren à mancomunado marido y muger en un contrato, ò en diversos, que la muger no sea obligada à cosa alguna: salvo si se probare que se conviertió la tal deuda en provecho de ella; ca entonces mandamos, que por rata del dicho provecho sea obligada: pero si lo que se conviertió en provecho de ella fue en las cosas que el marido le era obligado à dar, asi como vestirla, y darle de comer, y las otras cosas necesarias, mandamos que por esto ella no sea obligada à cosa alguna: lo qual todo lo que dicho es se entienda si no fuere la dicha fianza, ò obligacion à mancomunado por maravedis de nuestras rentas, ò pechos, ò derechos de ellas.

Id est:

*Uxor posthac obligari non possit in fidejussionem pro marito, etiamsi dicatur & allegetur debitum in emolumentum uxoris conversum esse. Item præcipimus, ut quando maritus & uxor sese obligaverint ex communi (ut dicitur) manu in eodem contractu, aut in diversis; uxor non teneatur ad quicquam; nisi probetur debitum in ipsius emolumentum fuisse conversum; nam tum præcipimus, ut pro rata ipsius emolumenti obligetur; verum si quod in illius emolumentum fuit conversum fuerit, in iis rebus quas maritus illi dare tenebatur, ut sunt victus & vestitus, & ejusmodi res necessariae, præcipimus ut hoc ipsa ad nullam rem sit obligata. Quod totum prædictum intelligi volumus, nisi prædicta fidejussio seu obligatio ex communi manu sit pro pecunia nostrorum reddituum, vestigialibus, aut ad ea pertinentibus.*

idem Bart. in *leg. Ad dimidiam, Cod. Quod metus causa*, & ibi Angel. Paul. & communiter DD. Innocent. in *cap. Causam matrimonii de offic. deleg.* & ibi Abb. & communiter Canonist. idem Jason. 7. column. num. 61. Greg. Marta. in *cap. Quamvis pactum, de pactis, in 6. 12. column. numer. 45. & magistraliter & fundamentaliter dixi in materia contractuum, cap. de Restitutione minorum 14. in ordine num. 27. ubi omninò videas.*

(p) Quòd si mulier simul cum viro se cum juramento obligasset, & ex ea obligatione esset enormissimè læsa; ut quia, soluta summa, maneret indotata, neque suppeterent viri facultates, ex quibus posset sibi satisfieri, nec debitum esset conversum in ejus utilitatem; hoc casu, petitiis relaxatione juramenti, posse contravenire, & contractum rescindere, affirmat Parisi *consil. 75. per totum, 3. volum.* & vide Simonem de Præcis *consil. 1. num. 21.*

**N**Ota ex ista lege sequentes conclusiones. Prima: quòd uxor non potest intercedere pro marito, etiamsi allegetur quòd debitum fuit conversum in utilitatem ipsius uxoris. Secunda conclusio: quòd quando maritus & uxor obligantur tanquam duo rei in solidum; non tenetur nisi quatenus probetur esse conversum in utilitatem ipsius uxoris. (p) Tertia conclusio: quòd ita demum dicitur esse conversum in utilitatem ejus, quando utilitas respicit patrimonium uxoris, & augmentum ejus; non verò ad ea quæ aliàs maritus de necessitate juris tenebatur, ut alere, & alia necessaria sibi ministrare. Quarta conclusio: quòd prædicta intelligantur præterquam si maritus & uxor obligentur pro debito regali vel fiscali; quia tunc indistinctè tenentur prout fuerint obligati, tanquam extranei.

I Pro cujus perfecta declaratione dico & præsuppono: quòd licèt regulariter pro quolibet debito & persona possit obligari fidejussor, &